

D. T. O. M. A.  
**DISPUTATIO**  
 INAUGURALIS MEDICA  
 THEORETICO-PRACTICA  
 De eXVL Cerato pneVMatIs Lobo  
<sup>SEU</sup>  
**PHTHYSI**

QUAM

*DIVINA FAVENTE GRATIA.*

DECRETO, AUTHORITATE, ET CONSENSU  
 PERILLUSTRIUM, MAGNIFICORUM, SPECTABILIJM,  
 Prænobilium, Excellentissimorum, Clarissimorum, atque Con-  
 sultissimorum Virorum &c. Perillustris, Magnifici, Spectabilis,  
 & Excellentissimi Domini Universitatis RECTORIS, Peril-  
 lustris, Magnifici, Spectabilis, Clarissimi, & Excellentissimi  
 Inclytæ Facultatis Medicæ Domini DECANI; D. Dominorum  
 Sacrae Cæsareæ Regiæque Cathol. Majestatis Confiliariorum,  
 & Archiatrorum, D. Dominorum Professorum,  
 adeoque totius Amplissimi

DOMINORUM, DOMINORUM

**MEDICORUM COLLEGII,**

In Antiquissima, ac Celeberrima

**UNIVERSITATE VIENNENSI,**

*PRO*

Suprema Licentiæ, & Doctoratūs laurea consequenda,  
*Publica Disputationi exponit*

JOSEPHUS SIGISMUNDUS HÖLTL,  
 Styrus Radkersburgensis, AA. LL. & Phil. Magister, Saluber-  
 rimæ Medicinæ Baccalaureus Formatus, nec non pro supra-  
 Doctoratūs Laurea Candidatus.

*In publico D. D. Medicorum Collegio horis postmeridiem consuetis.*  
 Annō M DCC XXI. Mense Augusto, Die 16.

*PRÆNOBILI,  
EXCELLENTISSIMO,  
CLARISSIMO, AC DOCTISSIMO  
DOMINO  
JOANNI  
BAPTISTÆ  
DE  
WENCK,*

*Phil. & Medicinæ Doctori,*

*Inclyti Ducatûs Styriæ  
MEDICO SENIORI,  
Sac. Lateran. Palatii Comiti, Acad.  
Leopold. Cæf. Sac. Rom. Imp. Nat. Curios.  
Collegæ & Adjuncto.*

*DOMINO,  
Ac Patrono meo Autumatissimo.*



# Prænobilis, Excellentissime, Clarissime, ac Doctissime **D O M I N E.**

**S**upremum ex Universa Saluberrimæ Medicinæ scientia disputaturus, quæ Nomina in partes, atq; subsidium vocarem, non erat, ut anxius circumspicerem. Tu, Excellentissime Domine, Primus occurristi mentis oculis, Tuus in me animus, Tua virtus, & sapientia spectatissima tantum apud me valuerunt, ut præter Te non sit aliis, cuius honorificum Nomen denuo Thesibus meis prefixum velim. Petit hoc sibi grati animi ratio, ut qui me beneficiis Tuis quamplurimis obstrictum sentio, quibus me jam ab ineunte ætate in hanc usque diem cumulasti, sed præprimis, quod & uno abhinc anno benevolè ad misericordiam, ut Nomini Tuo Theses meas inscriberem, cum prima in publico DD. Medicorum Collegio haustræ doctrinæ specimina dedisset. Sed est & aliud, quod meam in Te fiduciam auget maximoperè, quod nimirum Te non modò Patronos inter, sed & affinitate mihi conjunctos numerem. Addet vel ex hoc Nomen Tuum, quidni? rursus mihi stimulus, cum illud in fronte Thesum mearum legero, ut me pugilem strenuum exhibeam, ut vel sic minimè degenerem me esse probem à majoribus meis, è quibus Tua potissimum exempla mihi inmitanda jam pridem in animum meum induxi: Cujus in hac ipsa arte, quam ego in

quar-

quartum annum profiteor, tanta est peritia, & intelligentia,  
ut meritò rerum gnari fateri debeant, Saluberrimæ Medicinæ Facultatem multò plus Tibi debere, quòd ea Te nacta sit  
sui cultorem adeo excellentem, quàm Tu illi, quòd ipsa Te  
in suum suscepit. Tantum nempè honoris ab una Nominis Tui accessione fuit indepta. Loquuntur id abundè (ut alia  
complura præterea ij,) quibus Te Domesticum, suumque vi-  
tæ sospitatem unum venerari sibi nunquam non præsentem  
fuit concessum. Sunt hi Styriæ inclytæ status, est præprimis  
celebris Metropolis Græcium, ubi tot propè vitam suam sibi  
prorogatam Tibi in acceptis referunt, quot illud numerat in-  
quiliros. Seposuisti, quidem ex parte jam ætate gravis, & ca-  
nitie venerandus, labore molestem curandorum corporum,  
ut nonnihil Tibi indulgeas; sed & otio tuo non minus prodes plu-  
rimis, quàm studio, & labore: quando id efficis, ut ne oneri suc-  
cumbas præproperè, nunquam sat tardè fatis cessurus, cui omnes  
optant vitam immortalem, ut semper ad manum habeant, cu-  
jus consiliis, tanquam oraculis Delphicis, instructi aut morbo-  
rum pericula eludere, aut ex iis, si fortè in ea inciderint, salvi  
possint eluctari. Atquè hæc sunt, Domine Excellentissime,  
cur in publica propugnatione Propositionum Medicarum Te  
præ cæteris voluerim in Tutorum, atque Ducem eligere.  
Laboris præmium id unum mihi abundè sufficerit, si conatus  
hos meos Tibi cognato meo, viroque de scientia Nostra opti-  
mè merito placuisse cognovero. Mearum interim partium esse  
esse intelligo, ut ab omnium sospitatore, supremoque Medico,  
DEO ter Optimo Maximo Tibi annos nunquam interituros  
exorem, vel hoc uno beator, quòd & ego, dum mihi vita sup-  
petet, semper audire potero

## Prænobilis, ac Excellentissimæ Dominationis Tuæ

Servorum minimus

Josephus Sigismundus Hötl.

# CAPUT PRIMUM.

*De Etymologia ac quidditate Phthyseos.*

## THEISIS I.



Uod ferè omnibus morbosarum corporis nostri constitutionum denominationibus contingit, ut à Græcis primum impositæ, à Latinis deñ Medicis retentæ fuerint, idem & evenisse phthysi in aprico est. Græca enim vox est φθυσις utpotè quam græcosveteres ob tristem contabescientiæ terminum indidisse verisimile est. Latini verò græcos fecuti eodem utentes vocabulo à verbo consummo, cum totum corpus hoc in affectu contabescat, & omni suo succo nutritio defraudetur derivare contendunt, quæ quidem vox generaliter sumpta licet qualemcunque tabem significet, nihilominus ad eam solumodò & ad propositum convenientiorem speciem transferimus, quæ à pulmonum vitio suam dicit originem.

## THEISIS II.

**E**xplanatâ jam tristis hujus intuentibus omnibus spectaculi, vivum nempe repræsentantis skeleton origine juxta illud Poëtæ.

ossa tegit macies, nec juvat ora cibus varia hic morbus fuit sortitus nomina, phthysin enim vel phthoe non nulli appellari voluere, consumptionem, aut pulmonalem contabescientiam alii, corporis extenuationem, pulmonum ulcus, & exulcerationem alii nominare consueverunt: definitur autem quod sit *totius corporis consumptio*, cum febri lenta, continuâ, tussi, sputo purulento, & respirandi difficultate, ab exulceratione pulmonum orta.

## THEISIS III.

**V**eritatem autem definitionis ex eo elucescere non dubitamus, cum neminem morbum hunc penitiū considerantem latere possit, quin non abunde constet, omnes hoc affectu laborantes contabescere, & consummi ob indesinentem M. S. febrilem fermentationem lentam ab acido prædominante inductam, particularumque acrum Θnarum asperam arteriam vellicantium, & pulmonum spongiosam substantiam exedentium copiam.

## QUÆSTIO.

**Q**uæres undè puris generatio? R. Pus esse nutrimentum partis acore fermentali ulceris inquinatum, & sub forma excrementi ab eâ dimissum: Cùm enim omne ulcus fiat per corrosionem, & corrosio per acidum: acidum autem naturam fermentalem possideat, cuius, teste Arist. est optima quæc, inficere, & per modum contagii sibi assimilare: hinc succus nutritius tabe contagiosa acidi ulcerosi infectus, in forma puris quotidie ab ulcere secedit.

## CAPUT SECUNDUM.

*De subjecto & differentiis phthyseos.*

### THEISIS I.

**I**N assignando partem affectam truculenti hujus mali phthyseos, varii in varias abiēre sententias, & quidem primo loco clar. barbette, cuius cæteroquin accuratissimi ea erat sententia, quod ventriculum scilicet & glandulas mesenterii genuinum & unicum subiectum esse dixerit: Sylvius glandulas pulmonum: alii aliam corporis partem arbitrabantur: antequam autem proprius accedamus ad nostram mentem explicandam, non abs re esse duximus quædam de ipsa pulmonum structura annotari debere. Pulmones itaque à græcis πνεύματα, vel πνεύμονες à respirando dicuntur, quia animalibus in aëre viventibus & respirantibus dati, in pectoris cavitate, ex duobus lobis, venis & arteriis innumeris, & levissimis membranis (quæ extensæ infinitas vesiculas efformant) constantes in- & exspirationi inservientes, & circulationem sanguinis perpetuō suo motu tum ad irrorandum, cùm nutriendum totum corpus præmoventes situantur.

### THEISIS II.

**D**Elineatâ jam aliqualiter propriâ pulmonum constitutione, haud difficultè erit proprium & immediatum phthyseos subiectum determinare: dicendo nimirum pulmones illud ebullientis sanguinis ventilabrum primò & per se affici: secundariò tamen & sanguinem & cor, ut ex febre & totius corporis contabescentia luculenter constat, non inficias imus. Quod vel ex eo manifestum redditur, si ad ipsa morbum hunc concomitantia symptomata, respirationem nempè difficilem, tussim admodum molestam, & exscretionem phlegmatum purulentorum vigili oculo attendamus; pulmones enim utpotè corpora ex meris vesiculis conflata, aptissima, ad ejusmodi ulcera recipienda nemo negabit.

### THEISIS III.

**P**Rætermisis aliis phthyseos differentiis ut Hip. l. 6. Epid. Sect. 8. t. 47 asserit tabem ex gonorrhœa ortam esse. Item l. de loc. in hom. quæ fit ex desitatione in medullam spinalem irruente &c. primarias solum eisque magis necessarias assignare rati, dividimus illam in mendosam ex primis viis aut aliis visceribus ortum trahentem, & legitimam, quæ in imminentem (quæ adhuc levis est, incipientem quæ aliqualia jam possidet tabis & consumptionis corporis signa à vitio pulmorum oriundæ; & confirmatam quæ summus est Contabescentiae gradus, in quo homines toti jam ferè consumpti, sine ulla spe convalescentiae jacent morituri) subdividitur, utq; hujus in nos sœvientis hostis distinctionem sciamus, sit.

## CAPUT TERTIUM.

*De Diagnosi.*

### THEISIS I.

**V**Ariis porrò symptomatibus stipatur hic morbus, & sub prothea incedit larvâ ac signorum serie, quorum alia in hoc, alia in alio conspi- ciun-

ciuntur gradu, néque enim omnia in omnes indifferenter cadunt, ut proin ob tantam symptomatum diversitatem adæquatam eorundem syndromen adstruere, res sit summæ difficultatis; Conabimur tamen ut cuiusvis gradus hujus affectus signa à se invicem distinctiva adferamus: probè tamen advertendum, nè defluxionem catarrhalem pro verâ phthysî quis agnoscat. Imminentis signa licet difficulter alias cognosci queant, eleganter tamen Hip. l. i. de morb. his verbis exprimit: *atq; ex his quidem causis pus in pulmo ne colligitur, si pulmonum inflamatione detentus in diebus judicatoriis non purgetur, sed sputum & pituita in pulmone remaneat, suppurratus sit, qui si confe stim curetur, plerūque evadit, sin verò neglectus fuerit, ab eo quod inhæret putrescente tunc corrumpitur, tunc ulceratur, & pus colligit, néque amplius ul trò ad se effatu memorabile alimentum attrahit, néque ab eo quidquid per sa pe riora repurgatur, sed suffocatur & semper majore difficultate spirandi premitur, & inter respirandum sterit, indéque superiore pectore respirat, tandem verò ob turatis à sputo meatibus perit.*

## THESES II.

**C**Onfirmat idipsum Divus Senex l. sup. cit. text. 9. his verbis, *fit autem & suppurratus, si pituita à capite in pulmonem destillat, & primùm quidem ut plurimum latenter fluit, tussimq; tenuem exhibet, & sputum paulò amariu solitò, & aliquando tenuis calor adest. Ex quo colligendum, quod latenter fiat defluxio ad pulmonem ex faucibus, aspera arteria &c. & hoc vel ideò quia tunc temporis materia destillans quantitate pauca, & tenuior humoris portio, quæ defluit non irritat pulmones; atque cum ex his minima sequatur læsio, materia latenter fluere dicitur. Tu ssimque tenuem solumodò excitat, cum paucus ab initio sit & tenuis: amaritatem quamdam oris adverti indè est, quod humor defluens pulmoni exulcerando idoneus, dulcedinem, acrimoniam vel falsedinem habeat, hæque qualitates calore p. n. alteratae in amarorem degenerent: notum enim est *dulcia & salsa præ ter modum cocta amarorem contrahere.**

## THESES III.

**S**Ignis ab Hip. præpositis alia adjungere libuit, malam thoracis conformatiōnem, ætatemque juvenilem: si etenim illa duo cum prædictis concurrant, phthysin in procinctu esse certè pronunciare possumus: pravam autem thoracis conformatiōnem eum possidere dicimus, qui thoracem angustum & scapulas alarum adinstar prominentes habet; tanta autem & talis hæc est dispositio ad tabem ut eam Hip. *nativam tabem appellaverit*, quod ab intimis ortus primordiis & naturæ principiis concepta sit: quam ob rem necessarium ferè videtur ita affectos in phthysin tandem incidere, nisi à gravioribus morbis præveniantur.

## THESES IV.

**Q**uemadmodum recensita imminentis phthyseos signa magni Hip. au thoritate fulciuntur, eodem modo ab illo incipientis text. 10. his verbis proponuntur; *temporis autem progressu exasperatur pulmo, & intus ulceratur à pituita inhærente, & putrescente, & gravitatem exhibet pectori, & dolorem acutum ante & retro, calorēque acutiores in corpus incident, & pulmo à calore ad se trahit pituitam ex toto corpore, & maximè ex capite, caput verò calefactum ex corpore, & hanc putrescentem subcrassam spuit.* Vult siquidem

in incipiente tussim vehementiorem & molestiorem, thoracis gravitatem, dolorem acutum ante & retrò, febrium insultus vehementiores, ac tandem quod ægrotans putrescentem expuat materiam.

## THEISIS V.

**A**Tque hinc liquet quod non solum vehementior tussis *Hipserina* dicta, (nam procedente morbo quantitas augetur, ab eaque irritatur ad expulsionem rei noxiæ) sed & gravitas thoracis à materia in pulmonibus congesta ortum dicens miserè infestet ægrum, licet pulmo ex se parum aut nihil sentiat in substantia sua, communicatur tamen ei sensus per membranam tūm externè cùm interne eum cingentem: hinc dolor acutus tam ante quam retrò (cum ex utrāque parte membranæ afficiantur) eò quod materia pulmonibus in existens pravâ etiam qualitate & putredine eorundem membranas pungat, vellicet, & sensum doloris causet. Calores autem febriles oriri necesse est, cùm progressu morbi materia morbifica augeatur, & ad fermentandum aptior evadat. Sputum purulentum ob ulceris in pulmonibus contracti ruptionem.

## THEISIS VI.

**S**udoribus nocturnis ut plurimum phthysici vexari consueverunt somno correpti, nam per somnum calor concentratur, calore autem intus augescente (supposita aliundè magna sanguinis resolutione) non potest non fieri magna pororum apertio, & consequenter evaporatio, quæ in cuto condensatur & in sudorem abit: rigores non nunquam & quidem valde frequentes, nullum tamen typum observantes advertuntur, qui ex puris acrimonia membranas vellicante oriuntur, □ rubra ac præcipitata cum sedimento farinaceo, corpus magis extenuatur.

## THEISIS VII.

**A**B imminente & incipiente phthysi cursum ut ordo postulat ad confirmatam dirimus: exponendo quidem signa ejus diagnostica, pro cuius fundamento sit textus 11mus *Hip. I.* cit ubi his verbis ait: quanto verò magis tempus progreditur, tanto magis pus sincerum expuit, & febres acutiores sunt, & tussis frequens ac fortis, & inedia vexat, & tamen alvus infernè turbatur: turbatur autem à pituita, pituita verò de capite descendit, his cum ad hoc pervenerit, perit. Inediā ergo, alvi fluxum, unā cum tussi & frequente & forti cum sinceri puris expunctione, quod pathognomonicum statui mereatur, semper comitem habere afferit.

## THEISIS VIII.

**V**Eritas autem horum signorum præprimis inediæ ex eo colligitur, si consideretur, quod ea ex ventriculi læsa actione, & fermento aut depravato aut inanito, aut nimia sanguinis acrimonia, quæ particulas nutritias partim à partibus solidis abradit, partim in sanguine existentes ad nutritionem ineptas reddit, procedat; alvi fluxus ob tonum intestinorum successu temporis relaxatum contingit: tussis frequentior, quoniam plura est irritatio, pauca verò expurgatio, fortior autem quia major puris acrimonia fibrillas nerveas acrius stimulat & pungit, hincque ob copiam putrescentis materiae major febris exacerbatio. Accedit summa totius corporis extenuatio, ita ut caro universa sit absumpta, & non nisi ossa solâ

låcute concreta se prodant. Respiratio difficultis ob organa respirationi dicata vitiata, & propter nimiam humorum peccantium inibi abundantiam. Omnium autem certissimum signum phthysici ad interitum vergentis est capillorum defluvium, facies cadaverosa, □ oleaginea, tumor pedum, diarrhoea colliquativa. Interim tanta signorum speculatione opus non est: nam teste Aretaeo: *Si quis vel plebeus viderit hominem pallentem, tussientem, macie consécum, hunc verà phthoe laborare pronunciabit.*

## Q U Ä S T I O.

**Q**Uæres an sudores nocturni in phthysicis secundum Timæum à Gulden Klee sint ex imbecillitate facultatis naturalis? R. Negativè & dico sudores hos esse serum sanguinis sub forma sudoris dimissum, cum enim totus sanguis saepius de die per pulmones circuletur, quid mirum? si tabe aliquâ ab ulcere in pulmonibus delitescente in transitu afficiatur, quâ mediante veluti fermento aliquo succum nutritum solitò acriorem & ad nutritionem inceptum (indè contabescit) efficiat.

## CAPUT QUARTUM.

*De Causis phthysicos.*

### THEISIS I.

**C**AUSARUM in amplum nunc descendo campum, & iis quæ ad cognitionem hujus affectus facere videbantur pro instituti ratione præmissis, restat in ea animum devolvere quæ ætiologiam respiciunt. Causam hujus affectionis latere in pectore, & à soluta pulmonum unitate procedere nemo negabit: proindè causam formalem & immediatam phthysicos, exulcerationem pulmonum, ruptione aut corrosione factam dicimus: ulcus enim hoc in affectu adesse in confesso est, cum multiplici experientia in exenteratis cadaveribus satis supérque compertum sit: nam ulcus in quacunque corporis parte generari potest, atque hinc est quod hæmophoe (in quâ sanguis extravasatus non evacuatus suppurratur) ulcus in pulmonibus producat.

### THEISIS II.

**C**AUSAM verò mediatam ad hujusmodi affectum producendum concurrentem, laticem serosum, acres acidæ & corrosivas particulas continentem (quæ vel aliundè in pulmonem à vicinis partibus influunt, ut à pleura, & imprimis ex earum partium inflamatione suppurrata quæ in Empyema convertitur Hip. Sect. 5. Aph. 15. *quicunque ex pleuritide &c.* vel in ipso pulmone generantur) pulmonalem substantiam, vesiculas atque vasæ corrodentes, imò & sanguinem extravasatum in pus aliquando conservum statuimus: acidum enim habere vim corrodendi & exulcerandi neminem intimam ejus constitutionem perpendentem latebit.

### THEISIS III.

**N**ON nunquam ex ipso pulmonum vitio pravi humores suam ducunt originem, qui illius substantiam corrumpunt, & ulcus efficiunt, quod plerūque à primis vitæ primordiis, & à semine parentum simili labore insectorum contrahitur, undè phthisis inter morbos hæreditarios princi-

pem locum sibi vendicat, ita ut multæ familiæ inevitabili fato hujus morbi malitia è medio fuerint sublatæ. Hæc autem vitiosa pulmonum constitutio malignam quandam & quasi venenatam agnoscit qualitatem, ratione cuius etiam contagiosa audit, quamvis minimè negandum molliorem & laxiorem pulmonum substantiam ad hujus morbi generationem multum conferre.

## THEISIS IV.

**F**Acilius & promptius inter consanguineos propter non valde diversam humorum & pulmonis constitutionem hujusmodi contagium communicatur, ut tutum non sit fratribus & sororibus, fratris & sororis phthysi laborantis cubile ingredi, siquidem *mutuata* illa quæ à phthysicorum pulmonibus exhalant, totius cubiculi aërem inficiunt, ab aliis (præcipue dispositionem adhunc morbum habentibus) in pulmonem attracta, similem in eo dispositionem generant; pus in abscessibus ruptis non minus suum addit calculum.

## THEISIS V.

**V**Ariolæ sæpius phthysi januam aperiunt, laxiorem pulmonum compaginem ita dissolventes, ut nulla arte ad pristinum vigorem reducunt: pleuritidem materiâ non omnino evacuatâ, cum insigni pulmonum lœsione rejectâ, celeri, sed funesto gradu sequitur phthysis: in haemophthysi cum sanguis extravasatus raro ita expectorari possit, quin non aliqui remaneant grumi, qui postmodum acrieres facti pulmones exulcerant, non potest non subsequi phthysis. Baccho nimium litantes sæpius hoc malo infestantur.

## THEISIS VI.

**T**Abes in eas maximè ætates incidunt quæ à 18. ann. ad 35. finiuntur ita Hip. Sect. 5. Aph. 9. & Sect. 3. Aph. 29. *juvenibus autem &c.* cum enim in adolescentia & juventute sanguis noster & sanguis prædominante sit impetuosis, & fervidæ bilis miscellâ corrosivus, quid mirum? si per tenellum & spongiosum sanguinis collatorium filtratus, illud tandem corrodat, exulceret, & miseros juvenes in medio ætatis flore emarcescere faciat test. ovid.

quo rapitis miseros primæ lanuginis anni? Accedit temperamentum biliosum, quia sanguis in tali dispositione sæpius effervescit, vasaque rumpit: sic quoque sexus fæmineus ob vitam sedentariam, & virgines ob arctiorem pectoris constrictionem, ad conciliandam venustatem & elegantem corporis habitum, ut juxta illud Terentii *Junceæ* appareant, h[ab]etque *juvenibus placeant*: maturè contabescunt, quia sanguinem & lympham in motu suo ad reliquias partes sufflaminant.

## THEISIS VII.

**A**nni tempus ad generandam phthysin maximè oportunum docet Hip. Sect. 3. Aph. 10. *autumnus tabidis malis* & Sect. 3. Aph. 33. *autumno vero & tabes*: quoniam absumpto humido & particulis balsamicis magis resoluta luxuriant, undè adveniente ad pulmones aëre paululum austero & frigidiore glandulas magis concentrat, vias coarctat, sicutque ansa fibrillis corrodendis exhibetur. Quâ autem anni constitutione tabifica hæc lues ut plurimum grassetur docet: Hip. 3. Aph. 13. *Si vero astas sicca fuerit & aquilonia, autumnus contra pluviosus & australis ad hyemem fiunt tusses, rau-* cedi-

cedines, quibusdam autem tabes. Aestivo enim tempore corpus nostrum hiantibus poris unde unde patet, per quos tanquam apertam corporis januam aer aquilonarius undique penetrando insensibilem transpirationem plurimum diminuendo, non levem ipsis visceribus tabem imprimit.

## Q U E S T I O.

**Q**uæres cur phthysicis aer autumnalis sit tantoper exitiosus (ordinariè enim vel erumpentibus, vel decidentibus foliis moriuntur)?  
Tria in phthysicis esse consideranda primò ulcus; 2do pars affecta, 3tiò hedica corporis contabescentia, autumnus omnibus istis è diametro contrariatur: ut frigidus nocet ulceri test. Hip. 5. Aph. 20. *ulceribus frigidum, acerbum & mordax.* Parti affectæ eodem teste Sect. 5. Aph. 25. *frigida pectori inimica.* Ut siccus contrariatur consumptioni, quæ potius humectatione indiget: ut inæqualis omni modo nocet, eo quod per temporum inæqualitatem variæ moveantur defluxiones, ulcera pulmonum non leviter exacerbantes.

## C A P U T Q U I N T U M.

*De Causis Symptomatum.*

### T H E S I S I.

**P**ostquam atrocissimi hujus hostis causæ pro posse delibatae fuere, ordo postulat ut & satelitum, symptomatum nimirum ortum in medium ducamus (hoc enim modo causa universalis accuratius in lucem protrahetur) inter quæ primum est, febris lenta continua, quam non nisi ab inæquali sanguinis commixtione & p. n. ejusdem fermentatione ab acido prædominante suam trahere originem confidimus, cum omnis febris essentia in turbata sanguinis & particularum illum constituentium mixtione consistat; quemadmodum genarum ruborem imprimis post pastum exinde oriri putamus, quod chylus paucis à pastu horis in sanguine cum particulis sibi improportionatis & heterogeneis majorem ineat fermentationem, mediante quâ per arteriolas capillares ad exteriorem cutis partem protrudit, stagnat, & ruborem inducit; Respiratio difficilis partim ab ulcere pulmonum, partim à repletione humorum causatur, quibus inexistentibus minus liberè moveri valeant.

### T H E S I S II.

**Q**uod si sitis urgeat, eaque in phthysi non aliundè quam ab humidconsumptione & lympha tenui acri & falsa superius ventriculi orificium ac fauces molestante, pungente, & vellicante oritur. Nec aliam tussis ferina causam quam acrimoniam, puris aciditatem, & lympham acrem, pulmones & asperam arteriam, ad id quod molestum est rejicendum, sollicitantem agnoscit. Capillorum defluvium denotat defectum alimenti, & sanguinem cum lympha & succo nutritio (si qui adfertur) tam acrem esse ut radices capillorum abradat.

### T H E S I S III.

**C**ontabescentiam verò & emaciationem corporis, sanguini ab ulcere inquinato & acrifacto adscribendum censemus, partes enim sanguinis

acidæ, acres & Θnæ hujs sunt naturæ, ut balsamicas & fas ad nutritio-  
nem aptas planè consummant, vel per sudores colliquativos eliminant;  
quando ergo nihil vel parum in partium deperditarum locum reponitur,  
necessarium est ut corpus sensim absque sensu decrescat & consummatur.  
Hinc ob alimentorum & nūque defectum tonus fibrarum intestinalium re-  
laxatur, & propter humorum acrimoniam bilis exaltatur, & acrior reddi-  
tur, quæ deīn alvum continuò ad excretionem sollicitat.

## CAPUT SEXTUM.

*De Prognosi.*

### THESES I.

**O**rdine sic jubente jam signa prognostica paululùm dispiciamus oportet: ratione salutis & mortis in genere hic affectus est periculosus & curatu difficillimus, atque vitam periclitari indè desumitur, quod pars affecta nobilis sit & princeps. Affectus hic ab initio difficillimè cognoscitur, facilè verò curatur: progressu autem morbi facile cognoscitur, rarius verò aut nunquam curatur; tempus igitur solutionis cum sàpè chronicus evadat, & ad multos annos perseveret, definiri in arbitrio non est, quippe aliquando longior, si mitius tractetur teste Avicenna, qui mulierem phthisi laborantem per 23. ann. vixisse refert, aliquando brevior esse consuevit, præsertim si pertinaciori alvi fluxu corripiantur secund. Hip. Sect. 4. Aph. 12. si tabe detento profluvium alvi supervenerit, perniciosum.

### THESES II.

**I**n maximo quoque vitæ discrimine versatur phthisicus, si morbus acutus superveniat, aut sputum suum supprimatur ita Hip. Sect. 7. Aph. 16. postquam verò expectoratum retentum fuerit, moriuntur. De ægri salute & vita conclamatum est, si facies hippocratica appareat, aut capilli defluant teste Hip. Sect. 5. Aph. 12. quibuscunque laborantibus capilli à capite defluunt, moriuntur. Et primò prognost. qui tabe infestantur, si sputum quod extussunt graviter oleat carbonibus injectum, lethale. Quod Poëta confirmat.

tunc stat Parca foris cum tussit sputa cruentis  
vix non desperet cum sputis fætor adhæret.

Pessimis quoque ominis sunt sudores colliquativi, diarhææ, & □ & fa & pinguis docente Hip. in prognost. □ & cui pinguis aranearum telu innatant mala.

### THESES III.

**F**unesta non minùs ludit tramata si durior scirrus pulmonem teneat, findéque hecrica tussis proveniat, anorexia & appetitus prostratus (docente Hip. Sect. 7. Aph. 6. in morbo diurno fastidium cibi malum) tabidis malus præsertim cum inflammatione ventriculi & hypochondriorum ita Hip. in prognost. tumor in hypochondrio durus & dolens pessimus. Certissimi verò mortis prodromi & prænuncii habentur, phthisis hæreditaria, mala thoracis conformatio, & sputum ægrum non allevians, annottante Hip. omnia sputa mala sunt, quæ dolorem non sedant.

THE-

## THESES IV.

**S**pem tamen aliqualem phthisicus sibi polliceri poterit, non quidem ex integro reconvalescendi, sed solum patula mortis ostia tantisper subterfugiendi: si pus rejectum sit æquale, album, & leve, & unius coloris, quodque facilè excernitur & sine dolore aut multa tussi. Quò melior etiam in phthisi prima viget concoctio, eò uberior sanitatis spes affulget, adhuc multum contribuit, si pectus amplum sit & hirsutum, alvus compacta, sitis nulla & febris remittat, aut si phthisis ab ulcere parvo & non diuturno proveniat; bonum quoque omen est si vires sint robustæ, appetitus integer, si humor vitiosus ad nares vel alia emunctoria per metastasis commoveatur bonum est, quamvis & hæc ipsa sint fallibilia.

## QUESTIO.

**Q**uæres? cur phthisis curatu tam difficilis sit? R. Hoc fieri ob indicationum contrarietatem; ulcus enim indicat detergentia & exsiccantia, quæ febri & tabi è diametro opponuntur. 2do quia continua pulmonum dilatatio & constrictio consolidationis maximum est impedimentum. 3tio quod crusta pulmonum ulceri inducta in parte tam molli continuo motu exagitata facilè de novò concidat, ac denique quod humorum acrimonia radicata difficulter corrigatur; diluatur etenim variis vasis, nihilominus instar matis vario vrum dulcium influxu falsedinem suam non amittit.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De Curatione.*

## THESES I.

**P**erspectis jam ordine causis & symptomatibus ad curationem accedamus oportet; cum ergo causam hujus mali in acido quodam acri & corrosivo in sanguine & lympha latente, & tandem pulmones corrodente posuerimus, operæ pretium est, ut omnes impendamus nervos ad acredinem & aciditatem humorum corrigendam, pus expectorandum, ulcus mundandum, partem affectam consolitandam, febrim profligandam, & vires labefactatas restaurandas; ut autem indicationibus his satisfiat, ex tripli fonte chirurgico nempè, pharmaceutico, & diætetico remedia de-promenda sunt.

## THESES II.

**P**rimùm igitur fons chirurgicus se se offert, ex quo tamen parum aut nihil auxilii desummi potest, quia sanguis seu balsamus vitæ (quo phthysi maximè indigent) subtractio, raro aut nunquam proficua judicatur test. Borello cent. 4. observ. 15. ubi tabidis sanguinem potius infundendum, quam quidquam detrahendum monet: Verum quando ex sola sanguinis abundantia, aut consueta ejus evacuatione suppressa morbus suam traxerit originem V. S. celebrari poterit.

## THESES III.

**N**unc in campum pharmaceuticum ingressuris omnis generis nobiliora se se offerunt præsidia, præprimis verò ea quæ materiam peccantem in primariis corporis tritioriis evacuant, & morbosam è toto corpore educunt

cunt atque eliminant, suntq; vel vomitoria, purgantia, diaphoretica, diuretica, & alterantia. Primum vomitorum nimirum quod attinet, illa hoc in affectu suspecta & exitialia existunt præcipiente Hip. Sect. 4. Aph. 8. sed tabidorum ratio est habenda, nè purgationem iis per superiora unquam molliendam putes. Ob majus periculum inde emergens, vasorum scilicet rupcionem, cum partes violentius convellantur & concutiantur. Proscribimus pariformiter sudorifera, quæ succum nutritium colliquant, & corpus magis magisque exsiccant.

## THEISIS IV.

**C**onsentio nihilominus cum R. R. phthysicis etiam vomitoria non nunquam propinanda esse, & quidem incipientibus præcipue in mendosa, qui cacochymiam aliquam in primis viis & faburram fovere videntur suadente Hip. Sect. 2. Aph. 29. *incipientibus morbis, si quid movendum videas, move.* Aut si constet viscus nullum esse infirmum, nec pulmones corruptos, aut unquam præcessisse sputum cruentum; sed ventriculum faburrâ & humoribus peccantibus abundare, nauseam & vomendi stimulum persentis cere secund. Hip. *quæ educere oportet, quid maxime vergunt, edducenda per loca convenientia.* Tunc illa aliis exoptanda, modò vires ferant, aliæque circumstantiae non prohibeant, sit itaque talis formula.

R. ♀ rad. Ipeca. 3*ss.* ad 3*iiii.*

♂ mac. gut. ij.

D. S. Magen reinigendes Pulver auff 1. mahl.

## THEISIS V.

**E**vacuatis aliquomodo primis viis quid de purgantibus sentiendum videamus, illa quoqueminus tuta impræsentiarum præcipue fortiora prohibentur, quia acidum adeò educere nunquam possunt, quin potius acrimoniam adaugant, & majorem M. S. fermentationem inducant: ab initio tamen ad humores vitiosos in corpore adhuc latitantes educendos per intervalla repetita locum habere sentimus, qualia sunt fol. ⊖ SS. mann. cass. rhubarb. el. lenit. syrup. ros. solut. M. pil. de succ. crat. ▽ laxat. Vienn. aut infusa ex his parata vg.

R. ▽ laxat Vienn. 3*iv.*

Syrup. ros. solut. 3*ii.*

▽ fl. naph. 3*ij.*

M. F. potio s. Laxier-Trändl auff 1. mahl  
aut si præplaceret in forma decocti sit sequens

R. Decoct pectoral. cum fol. ⊖ SS.

Et passul. min. aa. 3*ss.*

Cort. citr. reci 3*ij.* fact. 1*iiij.*

D. S. Eröffnender Trank darvon Frühe und Abends ein Böcherl voll zu nehmen.

## THEISIS VI.

**P**eracta jam primarum viarum aliquali evacuatione, ad aliud indicans nobis transeundem est, nimirum ad sanguinis discrasiam & acrimoniam temperandam, & corrigendam: nisi enim mature fomes hujus male è medio removeatur in cassum erunt omnia. Conveniunt proinde omnia alka-

alkalia quæ acidum imbibunt & corrigunt, sub quorum censum veniunt.  
oc. ♂ coral. rub. ppt. succ. alb. ppt. marg. ⓠ ppt. antihect. Poter. ♂ haly,  
viper. rom. terr. lem. sigill. catechu. &c. ex quibus talis poterit concinnari  
formula.

R. ♂ oc. ♂.

Corall. rub. ppt. aa. 3*fl.*

Antihect. poter.

♂ anonym. aa. 3*j.*

Fl. 全. 3*j.*

Sachar. alb. 3*fl.*

M. D. ad scat. S. Blut-versüssendes Pulver/darvon Frühe und Abends  
2. Messer Spitz zu nehmen.

In quem finem maximè conveniens habetur decoct. chin. ad deter-  
gendarum materiam morbificam quod hoc modo ordinari poterit:

R. Spec. decoct pectoral. 3*fl.*

Lign. Sant. rub. 3*j.*

Rad. chin. elect. 3*fl.*

Sem. fænicul. 3*j.*

M. incissa D. ad ch. S. species damit 3. Maß Wasser zu sieden / und dar-  
von für ordinari zu trinken.

## THEISIS VII.

D Eveniendo jam ad ipsum pulmonum ulcus abstergendum & consoli-  
tandum, & somitem febrilem enervandum, varia in usum revocanda  
veniunt, ut sunt conserv. ros. fl. bellid. spec. diatrag. frig. sperm. cet. Syrup.  
hed. terrest. ♂ cort. peruv. &c. ex quibus hoc aut simile formari potest.

R. Conserv. fl. bellid.

Pap. rh. aa. 3*j.*

Rad. consoli. major. condit. 3*fl.*

♂ haly rec. ppt. 3*fl.*

Antihect. poter. 3*j.*

Cort. peruv. 3*iv.*

M. & cum S. q. Syrup. hed. terrest. f. elect. S. Latwergen / darvon einer  
Nuss groß 3. mahl des Tags zu nehmen.

In forma eclegmatis sequens inservire poterit

R. Succ. Symphit. major. 3*fl.*

Vel

R. Syrup. de Juiub.

Hed. terrest.

Pap. rh.

Farfar.

De prass.

Taraxa. aa. 3*j.*

Eryf. lob. aa. 3*vj.*

Depurentur & cum s. q. sach. alb.  
coque ad consistentiam linctus d.  
ad usum S. Brust-Safft darvon  
öffters ein Löffl voll zu nehmen.

M. D. ad fistile S. Brust-Safft/  
darvon zuweilen ein Löffel voll  
langsam hinab zu lassen.

## THEISIS VIII.

A D tussim ferinam mitigandam humorum acrimum decubitus & ulterio-  
rem corruptelam impediendam, sudores nocturnos cohibendos con-  
venirent quidem opiatæ sed in principio solum, possunt tamen emulsi ex  
sem. aut pil. pector. rotul. &c. substitui vg.

R. M. pil. de Cynogloss. 3j.	<i>Vel</i>	R. $\nabla$ fl. aurant. 3ij.
Styrac. 3ij.		Sach. Cand. alb. 3j.
Apobals. ver. 3j.		Fl. $\nabla$ r. 3B.
M. F. pil. ex 3j. N. x. aspergan-		Lact. $\nabla$ r. gr. vj.
tur $\ddagger$ liquirit. d. ad scat. Brust		Eleos. anis. 3B.
und Huest-Pillen davon 3. bis 5.		M. D. ad XS S. Lusft- und Huest-
zu nehmen.		Wasser/ öfters zu brauchen.
Si vero haec, praesertim delicioris gustus hominibus non arriderent		
ordinari poterunt trophis. bech. alb. citr. confect. de althea. rotul. & trophis.		
pectorales vg.		
R. Succ. glych. inspiss. 3B.	<i>Vel</i>	R. Sec. diatrag. frig.
Spec. diatrag. frig.		Dair. usit aa.
Gum. Arab.		3ij.
Rad. Ir. fl. aa. 3j.		Succ. liquirit. inspiss.
Sach. Cand. alb. 3ij.		3j.
M. &c cum mucilag. gum. tra-		Sach. alb. finiss. 3iv.
gac. $\nabla$ fl. acat. extract. f. trophis.		$\nabla$ Scab. tussilag. aa.
S. Brust- Zeltl nach Belieben zu		q. s dissol. M. f. confect. in ro-
nehmen.		tul. S. Brust- und Huest- Zeltl /
		zu Seiten sich damit zu bedienen.
Ad vires dejectas restaurandas & corpus emaciatum nutrientum Ge-		
latinæ ex herb. vulner. & antiphthysicis ordinari poterunt, externè pro		
inunctione varia conducere possunt uti est ung. resumpt. pectoral. Virid.		
Reg. Empl. fil. Zachar. de sperm. cet. &c. vg.		
R. Ung. de althea	<i>Et</i>	R. Ungt. resumpt. 3ij.
Calend.		Rof. S. 3j.
Rub. pot. aa. 3vj.		Ol. viol. 3iB.
$\ddot{\text{o}}$ anis. gut. xxv.		Lil. alb. 3vj.
M. D. ad fict. S. Salben wörmit		M. D. ad fict. S. Salben darmi-
die Brust zu schmieren.		den Rückgrad zu schmieren.

## THESSIS IX.

**Q**uod si omnibus his ritè & methodicè adhibitis morbus nihilominus cedere recuset, ad curam lactis tanquam sacram anchoram confiendum suademus (docente Hip. Sect. 5. Aph. 64. lac convenit tabidis &c.) quodque omnem absolvet paginam, ferosa nempè suâ parte non tantum abstergit, sed & sanguinis acrimoniam corrigit, caseosa consolidat, & butyrosa nutrit: jejuno autem stomacho illud propinandum: cuique parum Sach. vel conserv. rof. injiciendum, quod impedit quo minus in coagulum abeat: muliebre præ cæteris tanquam naturæ ejusdem & corpori humano familiarissimum ad ægri refectionem maximè conduit, est enim præ cæteris subtilius, citius penetrans & melius nutriendis. Post quod asinum ad phthysin accommodatissimum, uti Trallianus l. 12. c. 4. ait: *habetur enim cæterū frigidius, humidius, ac tenuius minus enim coagulatur, facile digeritur.* Confirmat id ipsum Avicenna l. 4. tr. 2. c. 6. non est lac post muliebre quod hec- cis aquæ conveniat ac asinum, hecticam enim, si curabilis, ad plenum curat. Observandum tamen in lactis usu nè acidum vitiosum in ventriculo hospitet, aut alvi fluxus superveniat, quo in casu à curâ lactis abstinentium foret.

QUÆ-

## Q U A E S T I O.

**Q**uæres an sachari usus phthysif laborantibus tantoperè ut aliqui volunt noceat? & Negativè, licet enim spem curandæ phthyseos nullatenus in sacharatis ponamus, sachari tamen usum phphysicis nequaquam interdicimus, propter vim abstersivam suavissimam, quâ sacharum in salivali oris lympha solutum variis pectoris malis abstersione indigentibus opitulatur, præcipuè verò ab acrimonia (in qua visciditate suâ rodentia ac stimulantia obtundit) ortum ducentibus.

## C A P U T U L T I M U M.

*De Dieta.*

### T H E S I S I.

**A**d fontem Diæticum accedere demùm ordinis ratio nos jubet, qui rerum non naturalium debita administratione intelligitur, harum siquidem delectus adeò necessarius est, ut quos hoc in morbo quantoties medicamenta & reliqua artis auxilia juvare non valuere, idem penitus restituerit: aër itaque primum inter eas occupat locum, qui sit temperatus, serenus, & ad frigidiusculum vergens, frigus enī temperatum, & humidum phphysicis haud inconveniens est, vitetur econtra calido-siccus, nocturnus & subterraneus, & inter principaliora subsidia in hoc morbo numeratur aëris mutatio, si verò & inibi ægrum ob morbi vehementiam mori contigerit illius meminisse oportebit

quō moriare loco - - - ad Jovis aulam  
â terra spatiū semper habebis idem.  
testē Mart.

### T H E S I S II.

**C**ibus & potus (quorum rectus usus non leve adfert adjumentum) sit refrigerans, humectans, docente Hip. Sect. 2. Aph. 29. *vittus humidus &c.* boni succi, facilis digestionis, celeris distributionis, ut corpori languido & extenuato robur exindè accrescat, quem in finem carnes convenient vitulinæ, columbarum, pullorum, indéque parata juscula, ova forbilia, & brodia bonæ qualitatis commendantur: nec excludendi veniunt fructus, ut sunt amygdalæ dulces, ficus, pineæ: caveat verò omnia acida, acria, & falsa: præterea licet omnia hæc sibi inimica quis vitet, sed cibos etiam Euchymos in ordinatè ingurgitet, non minorem adferent incommoditatem.

### T H E S I S III.

**P**otulenta quod concernit, ea pinguioribus paululum, seu in non admodum extenuatis pro potu ordinario servire poterit decoct. chin. resin. aut decoct. fænicul. vel spec. decoct. pect. Aug. aut decoct. syrup. de alth. fern. imò in siccioribus propinari possunt subindè ad libitum bibendæ emuls. pinear. amyg. dulc. aut sem. frig. major. vel formula specialis concinnari potest ex herb. vulnerariis ut veron. beton. hed. terrest. pulm. Hyssop. sanicul. plantag. rad. symph. major. liquirit. vg.

R. Rad. symph. major. 3vj.  
Liquirit. raf. 3ij.  
Herb. Veron.  
Pulmon.  
Numular.  
Tussilag. aa. Miß.  
Fl. bell. prat. pij.  
Cort. ⓠ extim. 3ij.  
Sem. fænicul. 3j.  
M. Inciss. gross. mod. d. s. spec. zu den ordinari Trand.

## THESSIS IV.

**Q**uantum motus & quies ad hujus affectus curationem conferre valeant satis notum est, nam sicut excessivus corporis motus, sæpius multorum morborum author existit, sic è converso si blandus fiat & cum debito regimine plurimos fugat, cum per hunc debita alimentorum distributio & circulatio sanguinis moveatur: quies quoque nimia nocet, quia humores reddit seigniores & torpidiores, undè alvus retardatur, haemorrhoidum menstruorumque fluxus ordinarius sistitur, sanguisque cum lympha acris & corrodens redditur.

## THESSIS V.

**S**omnus & vigilia utræque si modum excederint malum: Hip. 2. Aph. 3. moderati igitur esse debent, nihilominus somno magis quam vigiliis indulendum, alvus medium teneat, nec nimis aut stricta, aut laxa sit, obliqua tamen sui munera admoneatur appropriatis, reliqua quoque excernenda aut arte, aut natura circulante respondeant, nè enim excernenda retineantur & retinenda excernantur invigilandum est, nam alias facile huic affectui ansam præbere possunt.

## THESSIS VI.

**A**gmen claudunt animi pathemata, quæ nunquam modum excedant, sed mediocria sint, nec motionibus animi, curis, tristitia uti Ecclesiast. c. 20. tristitiam non des animæ tuae & mæorem longè abs te repelle, multos enim tristitia occidit. Terrori, metui, sollicitudinibus, iræ, amori, nimio usui indulendum, quippe quæ omnia usus animales in suo motu turbant, M.S. circulationem retardant, & quodammodo figunt: præ omnibus vero æger DEO confidat, qui suo verbo languores nostros sanat, ubi omnis consilii humani vis cespitat, cui laus, honor & gloria sit in sempiternum.

O. A. D. B. V. S. L. C. & SS. C. & D. H.

